



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De arcta custodia cordis & oris. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

cum Deo sine intermissione. Ecce verus Israelita, in quo dolus non est. O quam bonus Deus Israel, his qui recto sunt corde. Dic ergo cum David in psalmo, neglecto omni bono terreno, intimè orando: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. Nil aliud volo, nil cupio, nisi te solùm Domine, pro omni labore meo & præmio in cælo. Amen.

CAPVT XII.

De laude Dei ex ore iusti.

Rectos decet laudatio. Beatus, qui omnia bona opera sua facit cum pura intentione simpliciter ad laudem Dei. *Psal. 32.*

Beatus, qui omni tempore cor suum ad beneplacitum Dei dirigit, & nullum proprium commodum finaliter quærit. Beatus, qui omnia immunda idola antiqui hostis à se longè proijcit, & ad arma Christi crucifixi humiliter in angustijs confugit & orat. Hic bene procedit, & cum Iesu vbique per mare & aridam pergit: donec ad patriam cum eo perueniat.

Iustus officina refert in Deum.

2. O Iesu dulce nomen, super omnia nomina Sanctorum in cælo & in terra; cui omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, angelorum & hominum. Tu via iustorum, gloria beatorum, spes egenorum, salus infirmorum, amator deuotorum & cõsolator omnium tribulatorũ. Esto mihi adiutor & protector in omni necessitate, propter nomen sanctum tuum benedictum in secula. Cùm pauper fuero, laudabo te: cùm tristis fuero, laudabo te. Cùm lætus fuero, laudabo te: vbiqumque fuero, semper laudabo te.

CAPVT XIII.

De arcta custodia cordis & oris.

Cor mundum crea in me Deus. Hæc oratio valde utilis est *Psal. 50.*

& potens contra omne vitium durè tērans, & subito cordi irruens. Nil laboriosius & vtilius, quàm custodire cor à vanis phantasijs, & os à verbis otiosis. Nil fructuosius, quàm spiritualibus vacare exercitijs, orando, meditando, studendo, psallendo, & charitatis opera libenter faciendo. Pauca verba sufficiunt ad necessitatem, longa texunt superfluitatem; leuia inducunt vanitatem, curiosa important distractionem, dura excitanturbationem; alta generant elationem, simplicia ostendunt humilitatem, vera parant iucunditatem, falsa prouocant indignationem; bona merentur laudem, mala pœnam, sancta vita æternant gloriam. Bonus ergo custos cordis sui, sollicitè etiam custodit ostium oris sui; ne perdat gratiam deuotionis interiùs, per incuriam sermonis exteriùs.